





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30411890>





# EPICRISIS

CRITICO-APOLOGETICA

De affectu atrabilario, Mirachiali :

S I V E

De morbis Cerebri, & Mentis, qui extra  
Cerebrum originem ducunt.

P E R

GASPARUM RODRIGUES DE PAYVA

*Lusitanum, in Urbe M. D.*



R O M Æ, MDCC LI.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolæ in via Cursus.

---

TYPIS ANGELI ROTILII, ET PHILIPPI BACCHELLI.  
SUPERIORUM FACULTATE.

*[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*

303648



*Egregio, atque Præclarissimo Viro; & Domino.*

# D. ANTONIO FREYRE

DE ANDRADE ENSERRABODES

*In Militia D. N. J. C. Equiti, Regiæ Domus Proceri,  
Portugalliæ Regis ab intimis consiliis, in Regio  
Cubiculario concilio, Conciliario.*

*Nuper apud Magnæ Britaniæ Regem à Fidelissima  
Magestate Ablegato extraordinario, & nunc  
apud S. Romanam Sedem eandem Provinciam  
exercenti.*

GASPARUS RODRIGUES DE PAYRA  
S. P. D.



*Hysicum hocce de men-  
tis, cerebrique morbis opuscu-  
lum, quod tibi nuncupo, ac si-  
sto, Vir præclarissime, nulli po-  
tius quam Tibi jure, merito-  
que*

que debebatur quum non solum  
illi argumentum nuper præbue-  
rit nobilis ager Lusitanus, &  
Lusitanum habeat sui autho-  
rem, sed etiam quia sanæ men-  
tis est, ac integerrimi iudicii opus  
devios dirigere, atque eorum  
rectores confovere: te siquidem  
JOSEPH I. PORTUGALLIÆ, ET ALGARBIO-  
RUM REX FIDELISSIMUS non ad nego-  
cia solummodo suorum Regno-  
rum apud S. Romanam Sedem  
peragenda ad hanc Urbem able-  
gavit, verum etiam, ut nos om-  
nes, gentiles tuos, summa, qua  
polles, auctoritate, ac pruden-  
tia, strenue, ac potentissime de  
mo-



more tuereris : quæ quidem avi-  
tæ Familiæ tuæ conspicua mu-  
nera a primis Gentis nostræ ori-  
ginibus propria fuisse , tum indi-  
cat clarissimum cognomen , &  
rerum Lusitanarum testantur  
historiæ , quæ te Proavis tuis , mi-  
nime degenerem , jamjam equant ,  
& erunt postmodum sine inju-  
ria , sed cum majori eorum glo-  
ria , prælaturæ , ob ea , quæ ani-  
mi tui magnitudinem , comita-  
tatem , constantiam , dexterita-  
tem sapientiamque tuam apud  
Reges , & Principes nostros pa-  
riter , & extraneos , opera præ-  
clarissima commendarunt .

Ne

*Ne ergo mireris , vir inter  
omnes optime , si dum & auda-  
ciae meae veniam, & obsequii gra-  
tiam suppliciter peto , opusculum  
istud tuo nomini , longe , late-  
que per Orbem splendidissimo ,  
inscriptum promulgo , sed potius  
humaniter , ut afoles , id exci-  
pe , ac tuere , ut in obsequii er-  
ga te mei perenne monumentum  
existat , quo te & admei tutelam  
appello , ac Tibi perpetuum fa-  
mulatum devoveo .*

Romæ pridie Kalendas Junias A. MDCCLI.

## MEDICINÆ TIRONES

**P**Ræclara documenta de atrabilis generatione, & effectibus in corpore humano, quæ sparsim majores nostri nobis scripta reliquerunt, hic quasi in compendium collegi, ut ipsis ita bene digestis, atque dispositis, frui valeatis; neque in tam pertinaci morbo varietate symptomatum allucinati, à recta curandi methodo divagetis; ne denique iufidiosissimi hujus morbi terribiles eventus ( ut fere contigit ) medentibus attribuat, quod jam *Hypocrates* olim increpaverat, *si qua malà supra mala necessario evenerint, ejus rei causam, qui ignorant, Medicum arguunt.*

Quamobrem diri morbi atrabiliarii historiam primum vobis referam, quam nuper præ manibus habui: posteaque strictim de atrabilis natura cætera proferam, deque miris modis, quibus humor iste afficit mentem; ac tandem veterum opinionem cum recentiorum placitis conciliando, quædam ad praxim utilia dicam in morbis hypochondriacis, qui meritò Medicorum opprobrium nuncupantur. Quo ergo animo, certè benevolo, vobis hoc opusculum offerò, eodem illud ipsum accipite, & valete &c.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro .

*F. M. de Rubeis Patriarch. Constantinop.  
Vicesgerens .*

---

APPROBATIO.


**M** Andante Reverendissimo Sac. Pal. Apostolici Magistro eruditissimum Opusculum , cui titulus, *Episcris Critico-Apologitica &c.* a Cl. Viro Gasparo Rodrigues de Payva elaboratum sedulo legi , & in eo nil ab Horthodoxæ Fidei pietate alienum, nil a morum suavitate abhorrens , & nil a Principum gratia dissonum reperi; Publica dignum propterea luce censeo &c.

*Aurelius Franciscus Ginanneschi ex Urbis  
Archyatiorum Collegio , & in Archigymnasio Romano Publicus Medicinæ Professor .*

---

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri Ord. Prædic.



# HISTORIA

## MORBI MELANCHOLICI.



Enerosus, & pietate insignis Vir, ætate quinquagenarius, temperie calida, & robore præditus, multoque rubro sanguine plenus, irasci facilis, vitam, ita compositam servabat, ut neque potu, neque cibo peccaret, quanvis fructibus Saccharo conditis uberius, quam par erat, delectaretur. Curis, ac studiis, noctu, diuque mens ejus fatigabatur, fortasse ad unicum semper objectum respiciens; quod vitæ ejus institutum obstendebat, cum rarò, nec nisi curru vectus; de cubili solitus esset discedere: Sub his alvus nimium laxa, sed evacuationibus, vel per hæmorrhoides, vel per extremorum artuum profusos sudores sponte abortis, nunquam fuit correptus. Erupit tandem malum mense Septembre 1748., nam frigore leviter, extemploque agressus, in brachii, & cruris dextri torporem incidit; quod malum evacuantibus universalibus, jureque ex radicibus Scorzonæræ, Graminis &c. prosperè cessit. Sub Hyeme vero sat acris dolor in medio tibiæ sedem fixit, qui fomentis, & diluentibus, resolventibus que internis, li-

cet ex lege artis adhibitis , haud pœnitus sedari potuit nisi ad aquas Thermales *Vicarello* dictas accederet, ibique sub mense Junio per duodecim dies balneum quotidie intraret; quo licet nimis oscitanter uteretur; tamèn remedii salutaris vires expertus est: sub Autumno autem 1749. depascens herpes in collo apparuit, sensim reliquum corpus ad inguina usque serpens, conterminasque partes uredine sua infestans: dum molestissimo malo æger conflictatur horrida mœstitia, atrisque cogitationibus, & in mortis timore totus defixus, ac immerfus erat. Inde jam ferox atrabilis facta, vulgaria, quibus antea fuerat usus, remedia respuebat; nam assiduo hydrogalæ usû, obtundentibus, & solventibus tenacitatem, & acrem humorum impetum, nec non externè illis, quæ urenti herpeti resistere poterant, balsamo Peruviano scilicet, butiro faturni, quanvis jure & merito adhibitis, obtineri haud potuit, quin verno tempore caput atrabilis symptomata iterum attollerent, & adfligere ægrum iterato inciperent: sub finem enim mensis Februarii 1750. crus dexterum pruritu primum, paulo post dolore, tandem paresi tentari cæpit: herpes iterum horum symptomatum comes erupit: jam mens gravi timore perculsa in partem malorum trahebatur, ac animus pene dejectus, & anxius ita uno nescio quo objecto, implebatur, ut nè verbum quidem, nisi perraro, & interrogatus per multas hebdomadas proferret: Quia plethoræ signa aderant, cum pulsu pleno, neque tardo, & calore, & nè herpetis edax genium altius subjectas cuti partes ureret, Sanguis non semel fuit detractus; purgantiaque ad morbi ferociam compescendam ex artis lege simul exhibita fuere: sed in nervum erumpebat malum: nam terribilia insomnia, mœror, inflatus ventris, ructus, miræque anxietates, trepidatio, memoria penitus læsa, oblivio late populabantur: his febris parva, urinis turbidis, donec in assiduam desineret

ret delirium , adjuncta est . Medici in Consultationem vocati meningum inflammationem , & phrenitidem metuentes Sanguinis detractionem iterum instituunt : mœstus effectus remedii contemplabar , & penitius tangebar , dum eventura ex capto consilio recolebam . Infaustus ostendit eventus : nam alimenta omnia subinde , potumque per 6. dies averfatus est ; homines odio habuit , neque famulantium officia , neque conspectum ferre potuit ; animo ita consternatus , ut ejulans desperaret , se in beatorum numero post mortem aliquando futurum : immoderata tenebatur ira , ac taciturnitate ; insidias vitæ sibi à quoquamstrui lamentabatur . In miserrimo hoc statu mœrentes amici pientissima crudelitate vim feroci malo incutiunt , & alimenta assumere cogunt , minis atque increpationibus tandem mens sepulta redivit ; indulget jam monitis ; & alimenta , remediaque oblata capit : tunc balneis aquæ puræ , multoque sero lactis cum cichoreo , emultionibus camphoratis , aliisque horum naturam obtinentibus , per diu usus est : quibus herpes lenitus , paresis sedata , pacatus & famulantes , convictoresque comiter salutare incipit , & perhumaniter appellare : sed in melancholia , vitæque tristi , tantis miseriis obnoxius semper vivit atque degit .

## E P I C R I S I S .

**O**bservavit *Sanctorius Aphor. LXV.* Corpora virorum sana , & moderatissimo victu utentia , singulis mensibus fieri solito ponderosiora , & redire circa finem mensis ad instar mulierum ad consuetum pondus , facta namque Crisi per urinam paulo copiosiore , vel turbidiorum ; quæ evacuatio , vel illa hæmorrhoidum , si deficiat , in vasis abdominalibus detinetur , & coercetur .

*Hippocrates scripsit l. 3. aph. xxxix. , & aph. xxxv. ju-*

venibus autem sanguinis sputiones &c. ultra hanc ætatem prægressis hæmorrhoides : dumque millies in praxi sic vidisset Galenus adjecit in coment. *sanguinis per ora venarum*, quas Græci hæmorrhoides vocant, profluvium vere hujus ætatis est morbus : ita & observavit experimentalis schola, Subjctum hæmorrhagiarum generale constituunt Corpora plethorica ; prima Puerilis ætas, & juvenilis subjctum evadit hæmorrhagiæ narium, sicut viri seniores hæmorrhoidibus ( *Coschuv. p. 2. c. 2. pr. 5. & 6.* )

At sanguineis hæmorrhagiæ minus comode contingunt; quamvis enim ex abundantia has provida natura molitur, cruoris lentor complementum præpedit : familiares inde his esse solent congestiones, ubi alias perruptio fieri deberet, & inde infarctus, stases; quod & Baglivius ex Dureto notavit : *omnis humorum metastasis, quæ liberam non habet exclusionem ibi morbum facit, ubi subsistit : ( de morb. success. §. IV.*

Hinc hypocondriæ, melancholiæ admodum hac ætate familiares sunt, ut Galenus animadvertit in *Coment. aph. xxx.* verè hujus ætatis est morbus, sicuti, & melancholiæ; fit enim exatrabile, quando ad venas; quæ in sede sunt, abundantius decumbit : quin etiam horum temperatura plus atrabilis habet; atque ideo in ea multi insanunt, veluti ex anni temporibus in autumno : sicuti enim hoc tempus frigidum existens ruffam excipit bilem, tempore æstivo exassatam, sic declinantium ætas juvenilem, quæ maximè æstati similatur, subsequitur : & mirandum est, Cur in ea, non scripserit Hypocrates melancholiam : ego tamen in quibusdam exemplaribus hanc quoque scripta inveni .

Has itaque defecisse evacuationes in hocce infirmo, cujus historiam narravimus, ostendunt corporis nativa temperies, vitæ actiones, mens psofunde meditabunda, & altissima quæque ex vitæ instituto, cui se addixit, frequen-



quentissime molita : hoc modo Cerebrum ventriculo , & reliquis visceribus chylum , & bilem conficientes , spiritus digestionibus dicatos subduxit : hinc cruditates in sistemate arteriarum omnium , quæ abdominalia viscera tendunt , æque æadem labes in vena portarum , ex quibus clarè fit succum gastricum , pancreaticum , utramque bilem inertia , vapidaque reddi : & cum integro corpori insit robur , & mens actiuosa spiritus in meditatione alta , & assidua consumat , fluidissima quæque ex humoribus dissipantur , & retenta acrem , rancidam , tenacem induunt naturam .

Hæc atrabilis est , cujus signa , & effectus in corpore tam ad unguem , tam graphice apud sapientissimos Medicos Græcos descripta inuenies , ut ægrotos ipsos te videre , & tractare tibi persuadeas ; subque Melancholiæ nomine aliquoties contentam videbis , quod nigra fella ægrotantibus sæpe per vomitum veniant , Græci enim nigrum *melan* vocaverunt , fel autem *chollem* appellarunt .

Biliosum & sanguineum corpus atrabilarium fit si non habet evacuationes : *Hipp. lib. 6. de morb. pop. sect. 6. fol. mihi 359. edit. Paris. 8. majori 1547.*

Biliosis infestissimum hoc tempus : valde enim excitantur acciduntque eis lipitudines aridæ , & febres acutæ , ac diurnæ , & aliquibus bilis atra , siquidem , quod liquidissimum in bile est consumitur , densissimum vero , & accerrimum relinquitur ; quod idem accidit secundum eandem rationem , & circa sanguinem : *Idem lib. de aer. aq. & loc: fol. 88.* hæc igitur est atrabilis materia , & modus generationis , & sicut duplex est materia , sic duplex est humor atrabiliarius ; nam quod fit à sanguine mitior est , qui a flava bile est maleficus , ac derodit partes ; in quibus abunde collectus est .

Assimiles sunt maximè , hi quod phrenitide tentantur , his qui ab atrabile delirant , nam & hi ubi sanguis  
ex

ex bile , & pituita corruptus fuerit , morbum habent & dementes fiunt . *Idem lib. 1. de morb. fol. mihi 183.*

Si timor , atque mæstitia longo tempore detinentes sine causa manifesta perseverent , ex eo atrabilis significatur : *Idem lib. 6. aph. 23.*

Si lingua incontinens fiat , aut aliqua pars corporis stupore languit , tale est melancholicum : *lib. 7. aph. 40.*

In morbis melancholicis, periculosi humorum à loco ad locum decubitus, aut siderationem corporis, aut convulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem significant. *Lib. 6. aph. 56.*

Si atrabilis ad corpus inclinarit Comitiales fiunt si verò ad animum , atrabiliarii Melancholici dicti : *lib. 6. de morb. pop. sect. 7. fol. mihi 362.*

Dolores porrò in humeris oborientes , qui quidem ad manus descendunt torporesque , ac dolores inducunt , his abscessus non succedunt , verum nigram bilem vomentes sanantur : *lib. 2. præd. fol. 422.*

Quum dolores accesserint atrabilis , & atrium fluxionum affluxus fiunt : dolent autem partes internæ , dum mordentur : conversæ verò , & valde siccæ fientes venæ intenduntur , & inflammatæ affluentia attrahunt ; hinc morbi Comitiales fiunt , aut semisyderati , si in ambientes locos fluxiones inciderint , & à spiritibus pertransire non potentibus resiccatae fuerint : *Idem lib. de vict. rat. in morb. acut. fol. 388.*

Fit aliquando , ut toto in venis sanguine atrabiliario facto ex communis detrimenti ratione , etiam cerebrum lædatur : generatur autem à caliditate multa indigena , aut flavam bilem , aut crassiorem sanguinem adassante : plerumque verò partes circa præcordia primario affectæ caput ad consensum perducunt , & delirium efficiunt , aut ipsa bile cerebrum occupante , aut aliqua vaporis melancholici exhalatione , quemadmodum in morbo flatuoso , & præcordiali appellato ; nam os ventris quomodocunque affe-

affectum facile ad consensum ducit cerebrum ob cognationem, per maximos duos nervos, qui ex supernis ad ipsum deferuntur; perducit etiam ad consensum cor ipsum ob vicinitatem similiter quoque septum transversum, quod etiam ipsi inseritur; principium itaque ejusmodi melancholice plerunque ex cruditatibus: flatus enim ipsis succedunt multi, & ructus acidi consequuntur; & in summa melancholica deliria, multiformia contingunt, ob particulares corruptas imaginationes; unum vero omnibus ipsis commune est, timor, & tristitia: *Ætius, ex Galen; & Ruf. cap. 9. tetr. 2. serm. 2.*

Si atrabilis superius, ut puta stomachum, septumvè transversum petit, insaniam parit, quam Græci melancholiam nominant; flatum namque gignit, & ructus fatidos piscium odorem exhalantes; infra verò, & flatus cum crepitu transmittit, nec non & mentem simul alienat; proinde melancholicos juxta, & flatuosos Medici veteres sic affectos appellarunt: atas quæ propè statum est, & ipse status huic malo subjiciuntur: inter notas evidentiores hæ sunt, quod videlicet quieti, aut tristes abjecti, torpentesque sunt absque ratione: nullaque de causa melancholia initium sumit: prætereà in iram facile incidunt, vigilant, ingenti quoque pavore trèpidant cum morbus incrementum suscipit, quod si malum exasperatur homines oderunt, ab eisque fugiunt, de inanibus conquerruntur: multum flatuosi spiritus in præcordiis est &c. *Aret. Cappad. lib. 1. de Caus. & noi. diuturn. affect. cap. 5.*

Qui citra febrem ab atrabile stomacho infestantur, his accidit tempore, quo humor ipse generatur, & produciuntur tristitia, & somnus cum accessione imaginationum alienarum, contractioque, & dolor poplitum, ac surarum: coacervata verò bile, cum multa desperatione intolerabiliter ignescunt, ut omnia eis membra ardere videantur:  
 & de-

& deliriis mentem alienatibus sunt apprehensi : *Ætius Gen-  
trab. 3. serm. 1. cap. 2.*

Si ex atrabile sit fluxus , frigoris sensus quandoque affectis adest , & corpora in profundo , velut atterantur , aut scalpantur , afficiuntur : *Idem sermo 4. cap. xvii.*

Si vaporum , humorumque multitudo ad atrabilis naturam vergit , fiunt timores ; si talis non fuerit , labores , ac convulsiones : non solum autem in cerebro ipso , mali humores acervati tales afferunt casus , sed & in ipso ore ventriculi . *Galen. in Coment. apb. LXVII. lib. iv.*

En præclara de atrabile documenta , quæ apud antiquissimos , ac sapientissimos Magistros invenire licet , haud sine recentiorum erubescencia : quibuscum documentis , si prædicti morbi historiam comparaveris , nihil invenies , quod exacti analogismi captum fugiat , suoque tramite , antiquis jamdiu cognitum ejus fontem , nunc satis occultum reperiens : Quis enim in dubium vertet , herpetem ita tenacem , & urentem ab atrabile ortum non duxisse ? Quis parem à nervis abdominis illa pertentatis non exortam fuisse credat ? Quid mentem delevit , nisi ille melancholico-atrabilarius humor in præcordiis hærens , nervosque diaphragmatis illuc afficiens ? Hoc admodum sensibile viscus , si vel levissimè inflamatur , vel quodvis aliud simile nanciscitur , mentem turbare , ac usque ad furorem adigere norunt medentes : Quamobrem antiquitus sic illud φρήν , idest mens designatum legimus .

Cum sanguis non exierit præ multitudine resilit ad cor , & ad septum transversum , unde cor fatuum fit , ac delirium apprehendit : at ex corde , & septo transverso , tarde refluit ; venæ enim obliquæ sunt , & locus periculosus , & ad delirium , ac insaniam paratus : scripsit *Hipp. in lib. de Virg. morb.*

Quid ? quod multi hac parte leniter percussi , & si non vulnerati , repente occubuerunt : tunc nuntium nullibi alte-

alterationem , nisi in isto ( ut ita dicam ) animæ domicilio ; excitat ; unde jure , & merito stomachi orificium , os animæ appellat vulgus , & quoties quis premitur angustiis , tam corporis , scilicet , & vitæ anxietatibus , quam animi afflictionibus , circa stomachi os pergrave sentit onus ; admirabile enim est commercium inter caput , & stomachum , ac diaphragma : quod unum tangit , ab altero illico sentitur .

Nonne ergo peregrinus humor extra cerebrum in præcordiis , vel hypochondriis , mentem turbare , morbosque fere cerebri omnes à vertigine simplici ad apoplexiam usque inducere aptus erit ? observata docent ; imò Galenus apertè dixerat ; quod fiant epilepsiæ , cari , comata , catalepses , deliria , melancholiæ quibusdam ob stomachum imbecillum consentiente principio , quod in cerebro , & nervis est : *lib. 1. de Simpt. Causis cap. 7.* Et alibi sic loquitur de ore ventriculi ; *os igitur ventriculi , quum vitalem facultatem ad sympathiam ducat , syncopa infert , quum verò animalem propriè appellatam deliria , vel convulsiones . ( Comment. 2. in Hypocratem de vict. in morb. acut. )* Sic & *Hypocrates* dixit in lib. prænot. fol. mihi 402. *Si verò etiam pulsus inerit in præcordio turbationem significat , aut delirium .*

Quid ? quod anorem , vel odium ab humoribus nostris continuo fieri videmus , nec imperio rationis subjici priusquam humores omnes omninò mutaveris ? adfectus animi (*inquit Boerhaan. in prælect. Academic. §. DCCCLIX.*) à quadam conditione corporea plerumque pendent ; in sano homine vix potest tristitia produci , & si necesse fuerit simulare mærorem semper eminebunt lætæ sanitatis signa : in melancholico verò vix excitabitur lætitia , nisi corpus prius mutaveris .

Vir sapiens cujusdam puellæ vix visæ illico flagravit amore , nec sine sui ipsius admirarione , se eam de-

perire noscebat : aperiuntur fortè venæ hæmorrhoidales ; fluit continuo sanguis per menses aliquot ad inanitionem quasi , sanatur ; nec amplius illius amoris vestigium sentit , sic ab eodem , non sine risu , mihi pluries narratum fuit .

Hic ergo vir jam erat melancholicus , non quod mæstitia plenus , mala enim est conceptio , quod non sint melancholici homines , nisi semper sint mæsti ; Sed quia pertinaciter hærebat uni objecto affixus , quod juxtà veterum sententiam melancholia est , eidemque ideæ diutissimè hærens , totam suam mentem occupabat indelebilis ferè adhuc pulcherrimis Ethices præceptis ; quod verè vocatur delirium , dum illud infinitè extensum in cogitatione , quod habet mens humana , perit , & relabitur in hunc unicum affectum . Hi ægri non hodie sic , & cras iterum alio modo delirant , sed uni rei affixi manent , & hac ratione multi sunt melancholici , insensibiliterque , ac diversimode delirant : *alii fugiunt velut horrenda , quæ non sunt horrenda ; alii verò persequuntur velut bona , quæ non sunt bona* , inquit , ex *Ruf. Æt. cap. 9. tetr. 2. serm. 2.* Hinc *Aristoteles* dicit optimum , & sapientissimum artificem esse melancholicum ; ipsumque amorem generaliter furorem , sive insaniam multos vocare , ob similitudinem accidentium , quibus ægotantes afficiuntur , scribit *Aurelianus cap. v. de insania* .

Cumque per vasa hæmorrhoidalia atrabilis vagabunda , illuc ob situm , & horum vasorum conditionem facile tendens , exitum cum sanguine invenisset depuratur cruor , & ille sanus evadit : scribit enim *Hypocrates . Atrabilis velut similis est hæmorrhoids : lib. 6. de morb. pop. sect. 5. fol. 358. , & Galenus* addit in *coment. aph. xxx. lib. 3. fit enim ( hæmorrhoidarum profluvium ) ex atrabile , quando ad venas , quæ in sede sunt , abundantius desambit .*

Qui-

Quibus venæ fortiter in hypocondrio sinistro pulsant circa splenem mox convulsio, epilepsia, insania fit. Scribit *Hypp.* observatio tantum hoc docuit.

Epileptici aliquando sentiunt in pede pruritus, auram frigidam formicantem motum adscendentes, simul ac præcordia tangunt, cadunt miseri.

Causidius egressus cum in senatum iret offenso pede incomitio, obiit: *Plin. N. H. lib. 7. cap. 53.*

Quadragenarius, qui jam per tres annos stasis quibusdam temporibus motibus convulsivis tentari solitus erat; hujusce ægritudinis, occasione ingentis mæstitiæ, insultum solito majorem perpeffus est; morbi accessionem per duos, aut tres dies præsentiscere solebat, nempe ex magna intra sinciput commotione, continua ferè vertigine, & crebra oculorum obfuscatione: ingruente autem paroxismo, primo oculi varie contorquebantur, invertebanturque, dein moles quædam instar vivi animalis, ab imo ventre sursum versus cor, & Thoracem & exinde in caput obrepere videbantur: hujusmodi motum egomet manu ventrem ejus comprimens planè persensit: & quandiu palmis totis viribus obtentis, istius globi ascensum inhiberem, se mediocriter habuit; quamprimum vero intumescencia istæ sensim superius obrepens ad caput pertigerit, illico membra totius corporis immaniter convellebantur, ut tanquam spiritu malo obsessus, se ad parietes, & postes illideret, & quatuor robustis viris, vix summa vi detineri, & coerceri potuit, quin exiliret, & brachia, & pedes, & caput motibus diversimodis huc illuc jactaret: quando ab exiliore cessaret, membra fuerunt robustissime extenta, & muscoli rigidi, & velut tetano affecti: talis paroxismus circiter horæ quadrantem durabat, dein ad se redans sobrie loquutus est, in cubiculo obambulavit, qualia passus erat conscivit, & veniam ab astantibus petiit, dein statim affectus spasmodes repetens, similem

uti prius excitabat tragediam , atque isto ritu intra tres horas , quinque , aut sex paroxismos ejusmodi convulsivos sustinuit . *Willis capit. v. de morb. convulsivis .*

Autor hic ut faveat hypothese suæ de spirituum heterogeneitate , ac ab origine nervorum ad partes affectas explosione , omnia istæ symptomata ad cerebri , & nervosi generis radicum idiopathicas affectiones referre maluit , à symptomatis paroxysmum præcedentibus argumentum desumens : at verò diri hujus mali radicem , originemque in viscerum imi ventris plexibus nerveis verè ostendunt motus vehemens ab imò ventre sursum obrepens , cum primum accersebat mali vehementia ; ipsiusque moderamen quandiu palmis totis viribus obtentis illius globi adscensum inhibebat ; quod & quidem persuadere etiam videtur mentis constantia , adhuc durante paroxysmo , aliter enim contingere observant Pratici in convulsivis morbis , dum horum causa cerebrum immediate , ac radicaliter attingit .

Vidi olim virginem prænabilem in qua tumor exiguus subter os pubis cum dolore atrocissimo exortus convulsiones immanes , primo in ventre infimo , ac postea ad præcordia , & caput ascendentes , ac demum in membra exteriora protensas ciebat : nam semel , aut bis in die , postquam in parte affecta cruciatus insignes urgerent , abdomen , & mox hypochondria attolli solebant , dein respirationis difficultas , & ingens turbatio succedebant , atque statim affectu exterius translato membrorum , & artuum contractiones , convulsionesque horrendæ sequutæ sunt . *Willis cap. x. de morb. convulsiv.*

A ventriculo ulcerato Epilepsiam ortam observavit *Bartolinus* : ex liene , & Hepate , *Tulpius* , ut & *Hollerius* ; similiter *Harvæus* adnotavit feminam quandam , eo quod occasione exulcerationis uteri liquor acrior in  
ejus



ejus vulvam injectus esset, mox toto corpore convulsana fuisse: Boer. prax. Med.

Cuidam adolescenti annorum 15. tumor, velut inflammatio ad malleolum dextrum; adhibita juxta remedia: Quarto die caput balbutire, causari stomachum, deliravit: cum autem qualitas venenosa efferri à pede putavi adhibendum loco cauterium potentiale, aut locum eum scarificandum esse, quod minimè factum est, reclamante pertinaci, & imperito barbitonfore: clyster injectus, a quo convenienter dejecit; auctum delirium, Phreneticus eodem die quartuo mortuus: April. mens. ann. 1548. *Holler. obs. sing. in fin. lib. 1. de morb. intern. obs. 27.* Optimè quidem hic gravis Auctor cauterium aut scarificationem adhiberi curabat, ligatura etenim, ferrum candens, lanceola nervus sectus in loco in quo primum sese ostendit pruritus &c. similibus feliciter adaptantur: *Vide Medical, Essay de Edimburg. vol. iv.*

Uxorius frater Meclinia forte per octiduum male se habuerat, e convivio solenni, & crapuloso, Medicus urbis autem illi offert vomitorium, vomuit inde bis quotidie: adeoque scripserat pridie se Meclinia postridie Bruxellam ad nos venturum, ocreatus itaque, & itineri jam accinctus sequenti die ante meridiem extinctus est, postquam precedenti sub nocte male se habuisset, vomuissetque sæpius, ut ante, liquorem subnigrum, sive cruorem illic corruptum: dissectum autem ejus cadaver, nullum ostendit vitium, præterquam in stomacho liquamen subnigrum fluctuaret clauso Pyloro, *Helmontius: Pylor. Rector.*

Critoni in Thaso erectè ambulanti pedis dolor fortis à magno digito caput, decubuit eadem die horridus, anxius parum subcalescens, nocte desipuit; secunda die tumor laxus per totum pedem, & circa malleolum sub rubens cum distentione, pustulæ nigræ, febris acuta, in-

faniit; ab alio vero mera, biliosa, satis multa prodibant; mortuus est altera ab initio die: *Hypp. lib. 1. de morb. pop. sect. 3. agrot. 9.*

Nobilissima Domina hypochondriaca melancholia laborans, mirandis symptomatis premebatur: post rigores enim inæquales, coxæ palpitatione corripiebatur: ita ut manifestè videretur moveri, & palpitare; quo sedato videbatur inferior venter vehementissimè attoli, & deprimi; deinde aliquando convulsiones, sæpe deliria concitabat: duravit hoc malum septimanis aliquod maximè matutino tempore; tandem Ebeni decocto ad 40. dies exhibito convaluit: *Zacut. lib. 2. de Med. Princ. Hist. obs. ix.*

Quidam in febribus de repente convulsione prehensi, nullo quod eam præfagiret prægresso indicio, bilioso superveniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati sunt: *Galenus lib. de ven. sect. advers. Erasistrataeos cap. 9.*

Ebrius qui in commestatione cibus, vinoque ventriculum opplevit, inde torpet, convellitur, tandem omnia assumpta vomitu rejicit, hac ratione malum tollitur, & cessat convulsio.

In vulneribus abdominis, cultris acutissimis factis, mesenterii nervos lædentibus, dolores acutissimi fiunt, deliria illico, mentis, antequam moriantur, perturbationes horrendæ, mirificæ, notante *Ruischio*. Herniis strangulatis laborantes intra paucas horas ob doloris acutissimi vim, potius, quam à gangrena moriuntur, fiunt deliria, miræ anxietates, mors.

In ileo acutissimo fit dolor summus circa umbilicum, hinc ardor, ager furit, insanit, convellitur, moritur.

Oris ventriculi dolor cum præcordio distento, & capitis dolore, malignum, & quidpiam anhelosum, nam ii repente moriuntur velut in *Disode*: *Hyprocr. lib. 1. præd. num. 9.*

Inflammato utero, sæpe morbus lethalis; à nervis uteri

uteri ortum ducunt dolores, per spinam horrores, fingit-  
tus, fit insania, mens movetur; mira oriuntur phantasma-  
ta, quæ ad amentiam sensim viam sternunt.

In furore uterino, ubi minor inflamatio, eadem si  
mortem excipias.

Cholera morbus acutissimus omnium in præcordiis fe-  
dem habet, evacuatur assidue corpus, nervi sunt tantum  
affecti, in consensum cerebrum trahitur: hic nisi opio,  
& sopientibus levamen, & curam quæras, frustra ab aliis  
remediis auxilium nancisceris.

Si in coena robustissimus quisquam frustulum hepatis  
rancidi, vel lardi, vel vitelli ovi putridi assumpserit, vi-  
gilat, angitur, horrenda in somnia fiunt, vertigines que,  
vomit, sanus fit: hinc *Areteus* ait; *bilis amara sine ra-  
tione incensa instantis Epilepsiæ signum est: bilis amara  
terribilis vertiginis causa &c.*

*Cicuta aquatica Gesneri* vix stomacho excepta dolo-  
res, & tormina mirifica excitat, ipsam que mortem, si  
non vomitur.

*Areca fructus indicus*, observantibus *Garcia*, & *Ja-  
cobo Bontio*, non dum matura, masticata, & deglutita ver-  
tiginem subitam inducit, non secus, ac si sumpto vino  
quis ebrietatem contraxerit: *Geoffroy Mater. med.*

Helluones vinum, quod subito ingurgitaverunt, si  
retineant apopletici pereunt, quod adeo multis exemplis  
*Wepferus* confirmavit: spiritus namque rector, quem *Gas  
Sylvestre* appellavit *Helmontius* (qui dum in cappacissimo  
dolio vinum fermentatur, maximo motu profilit, adeo  
veneficus, ut incomparabile venenum celere, & suptile  
nuncupet *Boerhavius*), cujus multum adhuc manet in vi-  
no, & alcohole, dum vapor diu, magna copia naribus  
haustus temulentiam summam, quæ levior apoplexia est,  
producit, sicuti miasmata venenata pestis, variolarum,  
Epidemicorum morborum, dum cum saliva descendunt ad  
os.

os ventriculi, illud nerveum diaphragmatis tangunt, adeo violenter, ut morbi inde oriantur omnes cerebri, mentis, seu phantasiæ, puta deliria, convulsiones, apoplexiæ.

Causidicus quidam acceperat binas drachmas feminis Hyosciami contusas, loco Anethi, quod in Colica ipsi præscriptum erat: confestim inde sic insanivit, quod nil stolidius, magisque fatuum viderim: per vomitivum itaque infra semi horam convaluit; quid quid enim illius feminis per seplasiæ errorem biberat, adhuc erat in stomacho; totum que mucilagini involutum mox per vomitum rejecit, & convaluit: erat tamen totus innocens, ac vesanus: *Helmontius in tract. Jus Duum Viratus.*

Meticulosus subito in terrore sentit in ore stomachi pavoris indicium si repente magnus aliquis ex improvise [puta bombardæ ictum propinquum] fragor excitus sit, qui omnem discursus actionem præcedit, & præcidit: itaque si verum sit Scholarum axioma, quod ex læsione actionum enotescat pars læsa, reperietur tam amentia quam Syncope sedes sub diaphragmate: *Idem.*

Vidi Alotti puellam novennem, quæ jam a triennio nil profus comederat, nisi quod forte per octiduum, aut aniplius biberet quatuor circiter cochlearia aquæ puræ: etenim a Gonitru, primum insigniter terrefacta, edere cessaverat. *Idem.*

Frustrulum opii dum adhuc ventriculo hæret nervis illic dispersis quandam mutationem inducit, quæ in diris doloribus obtundere valet cerebri vim sentientem, per octo horas ad minimum, etiam si sequenti mane sæpe opii nondum dissoluti pilula vomitu excutiatur.

Canem invitum coegi divorare opium, deinde cum jam ex medicamento fere convelleretur incidi, atque opium adhuc in ventriculo inveni: *Boerhav. præl. acad. §. DCCCLVI.*

Aliquos ex crapula ab ebrietate concidisse eo fontico morbo

morbo video, os stomachi supprime materia: quosdam ex cholera vomitu convaluisse certum est: ex *Benedict. lib. 12. cap. 11. Schenck. lib. 1. de Epileps.*

Vir robustus colica atroci vexatus, levaminis gratia magnam opii quantitatem incaute summebat; paulo postea conquestus est onus ingens ventriculum aggravare, & durissime oprimere; amici, & adstantes aquas cardiacas vinum, & spiritus ardentis exhibent, sed sine quovis levamine: oppressio ista latius serpens circa præcordia languores, & deliquia excitabat, usque tamen vigil ille, atque mente constans spiritus magis, magisque fatiscere inclamabat, donec post tres circiter horas visum sibi ademptum quærens statim interibat: *wilis de anim. Brutor. part. pathol. cap. 3.*

In tentigine ardentissima juvenum inest quid grati in ore ventriculi; in concubitum si ruant salacissimi, & ultra vires tendant opus, tunc in ore ventriculi manet illud in gratissimum, amarumque, quod exprimere nequeunt, pænas & luunt, & pænitentia dolent: hinc macies, marasmus &c. in his caput non turbatur; sed ille tantum locus afficitur, & vitæ salubris, vel ægrotæ potestatem obtinet, ille sensus tantum.

Puella triennis, & nobilis vomitorium febrifugum, paucula grana cujusdam pulveris capit; altera etiam filiola idem sumpsit, nondum bimatum excedens, utraque mox a sumptione vomuit, utrique enim oculus contortus dexter, totumque latus quasi obsessum Paralisi: brachium quidem ex toto, crus vero non omnino; major enim tota garrula, oblæsa tamen lingua, minor vero sopore, & vomitu, subinde interpellante, extinguuntur ambæ: aperitur utriusque cadaver, putidumque liquamen stomacho detentum occurrit, homicidii causa, Píloro exacte clauso: *Helmont. Pílor. Recit.*

Homo sapiens inter papaveris semina adsumpsit ali-

D

quan-

quantum feminis hyoscyami, post paucæ horæ minuta delirare capit mirifica, & nunquam visa deliria, prudens Medicus exhibuit drahmam unam vitrioli albi, vomuit æger, & continuo sensum, mentemque sanam recepit, ejectis feminibus, nihil adhuc mutatis, res incredibilis est, nihilo incertior mathematica demonstratione: *Boerhaav. præl. acad. in prop. inst. §. DCCCLIX.*

Vertigo sapissime ex ventriculo oritur. Ipse ego (*inquit Boerhaav. §. DCCCLXIII.*) *ab esu cicuta tantas vertigines passus sum ut omnia mihi celerrime circum ire viderentur, neque fere stare possem; sumto vero medicamento vomitorio malum abiit.*

In syncope, Epilepsia, vertigine, apoplexia &c. intellectus, sensus, motus, & pulsus functiones suspenduntur, & tamen in stomachum liquoribus aromaticis injectis, plerunque restituntur, quia immediate ab ore stomachi manant: *Helmontius*. Lipothimici asserunt se sentire comminatum in præcordiis deliquium citra que somnum suspendi omne conceptum: *Idem*.

Hinc suspicatus est *Helmontius* facultatem quandam stomacho residere quæ regit, ac nos gubernat, vivificat, & mortificat, stomachumque undequaque omnique angulo esse sedem animæ autumavit: ita tamen quod os stomachi præesse, atque dominari capiti, ac principibus facultatibus, Pylorum vero inferioribus imperare credat: dumque vidisset sapius materialem causam morbi hæere in dissito satis loco ab illa corporis parte, in qua effectus illius causæ morbosæ observabantur, vocabat illam potestatem, qua una pars affecta aliam distantem turbat, actionem regiminis [*vide tract. ignota actio regiminis*] *Du-rotus* itidem nos admonet *fol. 338. omnia cerebri utcunque afflicti mala consentiunt cum stomacho, ejusque societatem ineunt, idque vel una generis similitudine.*

Notabilem refert historiam *Hildanus* observat, xxxiv. lib.

lib. I. cujusdam Puellæ , quæ ob stomachi punturam à de-  
glutita acicula ita horrendis convulsionibus agitata fuit , ac  
stupendis symptomatibus, ut ægra pro dæmoniala haberetur;

Scitissime hinc etiam *Hippocrates* lib. de morb. ven-  
triculum dicit esse magnum fontem maris facultatem habens.  
dum omnibus dat , & ab omnibus accipit . Neque inele-  
ganter cecinit . *Serenus Samonicus*.

Qui stomachum Regem totius corporis esse  
Contendunt , niti vera ratione videntur ;  
Cujus non validus firmat tenor omnia membra ,  
Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore .

Atque his fortasse in sua praxi convinctus *Archigenes*  
[ qui licet in familia Pneumaticorum communiter annume-  
retur , attamen eo quod ipsi quædam displicerent *Athenei*  
placita, Sectam Eclecticam condidit ] practicum dogma fan-  
civit -- *actiones quasdam lædi frequenter , illesa ea corpo-  
ris particula , quæ ipsis deputata est : ut Galen. refert. de  
affect. locor. notit. lib. III. Cap. I.*

Atrabilis itaque dum reconditur in arteriis illis , quæ  
viscera continent sub diaphragmate ad renes usque , lien ,  
hepar , pancreas , intestina , omentum , varia symptomata  
inducere potest , mirifica , ob qualitates , & naturam di-  
versam ; namque acida , alcalina , spissa , austera , tenuis ,  
aromatum naturam induens fieri , & generari in corpore  
nostro potest ; & cum ibi nervi , vel intercostalis , & octa-  
vi paris diaphragma attingant , & penetrent , afficitur hoc  
mirum viscus , & in consensum cerebrum , mensque trahi-  
tur ; semel enim hi nervi læsi dolorem non faciunt , tan-  
tum anxietates producant ; afficitur mens , angitur , tri-  
statur , despondere animum videtur , & animi deliquium de-  
nique fit .

In hoc morbo totum sensorium commune sic inverti-  
tur , ut omnia deleantur idola , vel mutantur , vix enim  
natus hic morbus , totus homo mutatus est , ex magnanimo

vivaci, qui antea fuerat instar pueri flet, desperat, vitam sibi laqueo demit: dum fixa manet hæc atrabilis in his vasis, hinc manant semina tantorum malorum, ita connectitur cum ideis, ut hæc ita pertinaces sint, ac causa ipsa: oriuntur infania Epilepsia, fiunt convulsiones, catalepsis, & sano cerebro vertigines, mania, &c. quod, dum observassent Methodici alicujus infaniæ causam extra cerebrum posuere, proprio que capite sub nomine melancholiæ hypocondriacæ tractarunt: Ipse quoque *Hipocrates* dicit -- phrenitidem aliquando fieri à bile, quando commota ad viscera, & septum transversum recederit: *cap. 3. de affect.* Et scholiographus *ad cap. 17. lib. 1. Holler. de morb. intern. scribit -- potest fieri etiam melancholia, hypocondriaca à partibus inferioribus ventris, quæ calida intemperie laborant, vel effusa bile atra per mesenterium, & partes ventris: Docuit etiam Erasius disput. Heidelberge habita anno 1577. - ex hypocondriaca melancholia desipientes, quia causa extra ipsum Cerebrum subsistit, sæpe ad se subito redeunt, ac purissima intervalla habent.* At quomodo hæc mentis alienationes à causis extra cerebrum producuntur? hoc opus, hic labor est.

Videtur irritatione, motuque alicujus nervuli liberè propagata ad singularem in cerebri medulla locum, excitari posse ideas tali mutationi adligatas, ut fit à causis extra nos positis, superficiem nervi alicujus organi mutantibus per attactum moti objecti, qua mutatione oritur in intellectu percipiente cogitationis mutatio; Lex enim humanæ naturæ est, non explicata, sed inventa experiundo partem esse in cerebro, non totum cerebrum, cui adligentur ideæ, seu cogitationes, uti ad res aliquas arbitrarias, quæ si in anima consortio spirituum animalium insensorio communi instructa per extrinsece a sensibus advenientes, excitantur, & rectè connectuntur, mens sana, perfecta que ratiocinatio sit; quando autem illæ ideæ connatæ a causa interna invo-

lun-



luntaria excitantur, tunc oritur ratio perversa, sive delirium, quod nil nisi imaginatio fortior est, a directorio rationis aliena, idearumque ortus non respondent causis externis, sed ab interna cerebri dispositione mutata pendent, nata præter voluntatis imperium.

Quatenus verò ideæ in nobis fiunt à causis extra nos positis, videntur pendere à mutata superficie nervi per contactum moti objecti excitata, sic tamen, ut illa mutatio libero nervo propagetur ad illum in cerebri medulla locum, cui singularis idea adligatur: interim ab hac mutatione, qualiscunque demum fuerit, oritur in intellectu percipiente cogitationis mutatio, quæ nil representat, quod est in actione objecti, vel passione organi, sed tamen eandem actionem ejusdem objecti in idem organum sequitur semper eadem idea: hique motus externi à sensoriiis excitati, spirituum animalium beneficio, illorum radiatione ad cerebrum delati, ibi vestigia, seu characteres relinquunt, quæ si à causa vel interna denuò aperiuntur, ideæ earum rerum necessario redeunt ad mentem; in insomniis profundiora, & familiariora vestigia facilius aperiuntur, hinc ideæ poris cerebri inscriptæ cum ob confusionem, & copiam à mente insensorio communi spiritibus animalibus destituito tempore somni non dijudicari, & distingui possint, confusas tales instituunt comedias, quæ dicuntur insomnia, seu deliria dormientium, sicuti deliria sunt insomnia vigilantium.

His itaque rectè pensitatis, poterit ne quisquam rationem reddere illorum vaticiniorum, quibuscum in morbis, vel insomniando multos, multa divinare scriptum legimus? Hujus generis historiam memoriæ prodidit *Plinius*, *cujusdam militantis in Prætorio matrem vidisse per quietem ut radicem sylvestris Rosæ blanditam sibi aspectu prædie in fruteto mitteret filio bibendam: casu que accidit ut milite à morsu Canis incipiente aquas expavescere, super-*  
vene-

venerit epistola orantis, ut pareret Religioni, servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit. lib. XXV. histor. nat. cap. 2. illosque testatur Areteus referente Heurnio tom. 2. fol. 133. sic quidam per morbos futura praevident, & praedicunt.

Arystoteles cap. ultimo lib. de divinat. ex in somniis melancholicos futura etiam praesentire dicit; alii etenim furorem esse cum quadam vaticinatione affirmarunt: & Plato in Phaedro duplicem furorem agnovit; unum fieri mentis intentione, alterum divinationem vocari: ut refert Aurelianus cap. V. de insania: sic, & Antiquus Alexander, & Rasis ferunt, quosdam melancholicos futura praedicere, & evenire, quae praedicunt.

Cumque nullibi [ rediamus ad scopum ] quam in praecordiis, ut docet anatome, tantae nervorum propagines sint à paris octavi trunco, vel intercostalis, seu magni simpatici, ut Winslovius dicit; qui diaphragma attingunt, & penetrant, quid mirum si illuc causa quaelibet externa, ut humor atrabilarius, tantos motus anomalos, ac inordinatas ideas producat, quaeque quantum causa ipsa pertinetes sint?

Atrabilis inter omnes corporis humores viscosissima est, & sedes diuturnissimas facit: scribit Hypp. de nat. homin. propè finem: hinc melancholici vulgo Medicomastiges, & flagella Medicorum dicuntur: est enim hercle is humor indomitus, & efferus: si temperantia tantum adhibemus [ inquit Ballon. lib. 3. consil. LXXVIII. ] malum non tollimus, sed lenimus tantum, si acria, & quae humorem tollunt, irritamus: idem contigit, quod & in herpetibus, & Serpigne: glutinosa mollia remedia malum fovent, immò deterius faciunt, acria causam evacuando, non statim sanant, sed irritant: Boerhaavius scribit in praxi medica -- Si purgare velis, per opposita tum effervescit, & vasa destruit; si verò hanc materiam per album purgare veli-

*velimus , tum fit ruptura vasorum* , -- hinc exurgit difficile prognosticum , præsertim in ultimo morbi stadio , cum nempe atrabiliaris succus jam in visceribus imi ventris , sedem fixerat , tunc enim vix curationem admittit ; humor enim piceus est , & vasa arteriosa hipocondriaca dicta non sunt capaciora , ac capillus capitis est ; §. Ex his itaque omnibus expositis intelligi possunt infinita symptomata in morbis atrabiliaris occurrentia , quorum ignota ratio inanes fabulas artis ludibrio non semel producit .

Hinc denique ad curationem : Duplicem atrabilis statum supponere licet , primus est , dum atrabilis fabricatur , privatur sanguis spiritu , & lymphâ , oleumque ac sal , & terra tenaciter unita , & vagabunda operari incipiunt in machina ægrota ; & tunc juxtâ veterum sententiam , datur vera melancholia , fiuntque mestitiæ , timiditates , solitudinis amor , affectus animi quicunque pertinaces , magni dum adhuc æquabiliter cum sanguine movetur , serpi-go , lepra , &c. si ad partes externas defertur ; vel delirii majoris causa est cum , vel sine furore , si humor subtilissimus capitis inquillinus labem contraxerit , qui si tunc solidas partes læserit epilepsiam facit ; sumentem , & crasin in qua legitima ratiocinatio consistit , delirium melancholicum inducit ; ideo *Hypp. 6. epidem.* scripsit -- *melancolicî sunt epileptici* , & è contra : nam si humor in corpus repit , epilepsia fit ; si in mentem melancholica passio : in illis leditur cerebrum , ut pars organica , istis verò ut similis [ inquit *Ball.* ] in illis laborat cerebrum in animalitate , hic in ratiocinabilitate .

Cum verò succus melancholicus , seu materia atrabiliaria alicubi hæret , deponiturque , quod fit ordinario ex-natura humoris , ac loci conditione in arteriis celiacis , & mesentericis , tunc alter status est , alter morbus hipocondriacus vulgo dictus , qui est congestio sanguinis crassi  
picei,

*Bayle Medicus Gallus* omnis apoplexiæ causam dicit esse vasorum erosiones, & rupturas inter cerebri ventriculos ab acrimonia atrabilaria, omnemque apoplexiam ab hac acrimonia oriri voluit, dum tenerrima plexus choroidei vascula rodit, & rumpit; sed hoc sic strictim verum non est, sumpsit enim vnam causam pro omnibus; saepe, uti dicimus, hujus causæ proles apoplexia est, sed non semper; hoc vidit Hypocrates in sua praxi; hinc scripsit in aph. LVI. lib.6. -- *in morbis melancholicis in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, idest apoplexiam, vel convulsionem vel furorem, vel cæcitatem.* Et in lib. de Glandul. num. 9. -- *Si quidem cerebrum rodatur turbationem multam sustinet, & mens desipit, & cerebrum convellit, ac destrabit totum hominem, qui in se ipso vocem non edit ac suffucatur, & hæc affectio sideratio, ac Græce apoplexia appellatur, aliquando vero acris quidem non est fluxio, sed copiosa in cerebrum irruens ipsum affligit & mens perturbatur.* Quod & quidem fieri *Gallenus* explicat non semper, sed cum melancholicus humor supra modum exustus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem: *in comm. præd. aphor;* & tunc proprie dicitur atrabilis, differtque gradu ab humore melancholico, ut annotarunt gravissimi Auctores; hic mitius est, & simplicem inducit melancholiam, dum adhuc æquabiliter cum sanguine movetur, at, si major, hanc vagam in sanguine materiem ex sanguine usto, aut ex flava bile perusta humorem atrabilarium appellare poteris; succum verò melancholicum illam partem sanguinis limosam, & crassam, quæ limus, & fæx sanguinis dicitur, & in sanguineis generatur, & cumulatur, dum carent salutaribus hæmorrhagiis, corpusque ægrè transpirabile redditur; quæque dum circa vasa hipochondriaca hæerere incipit, eaque obsidet, illius hipocondriæ causa est per accidens à *Ballonio* dictæ, à fece, & limo sanguinis, in quam assatum præ rubro colore homines decidunt; de qua loquitur

*Galenus lib. 3. Cap. 7. locor. affectior.* & horum maxima pars lienosa est: sic etenim perhibent *Hypocrates*, & *Gallenus* in aphorismis XXI. XXII. XXIII. lib. 4. quos optime exposuit *Alpinus* de præfag. vit. & mort. ægrotorum lib. VII. Cap. XI.

Illuc tandem atrabilis generatur, dum, qui in angustiis viarum hæret humor, tempore recoquitur, & aduritur, fit malignus, & maleficus & omnium humorum morbos exitiales parit, omnia inquinat, & corrumpit omnia vasa, quæ modo occupat, quod sapiens indicavit *Hypocrates*. Part. 8. lib. prorrh. dum scripit: *quibus lumborum tenues, & diuturni dolores, & ad hypochondrium reducti, revocatique, & ciborum averfio cum febre dolor is valens intentusque ad caput perveniens, cito cum quadam convulfione interimit.* idest; sæpe circum hypochondria latet humor, qui diurnitate malitia acquisita, dum sævit furit, ac virus exerit, dum caput appetit horrenda symptomata invehit, ut explicat *Ballonius lib. 2. consilior. Medic.*

Hinc videmus maximam literatorum partem, qui vel docendi gratia, vel quid novum inveniendi perpetuò lucubrantes domi, vel in lyceo sedentariam vitam, aut statariam diuturnis mentis applicationibus adjungunt, diathesim melancholicam hypochondriacam sic acquirere, & mori apopleticos.

Lamentabiles similes casus nobis exhibent non admodum vetusta tempora in illis totius Italiae & Reipublicæ literariæ splendoribus *Francisco Redi; Laurentio Bellino; Marcello Malpighio* multisque aliis, qui omnes apopletica morte perierunt, erosus nempe, & ruptis vasis sanguineis in cerebri cavitatibus ab atrabilaria acrimonia, cujus non leve indicium præbuerunt, quasi in omnibus, prægressæ vertigines, ut videre est in horum vitis, quas Romana Arcadia in publicam lucem emisit. Hinc. *Lancisus*, qui celebris *Malpighii* cadaver fecare vidit, uncias duas cum

dimidia sanguinis extravasati , in cerebri cavitationem invenit .

Hinc etiam videmus sæpe homines maniacos , qui in initio surebant , postea mori apopleticos .

Itaque in gradu primo, qui ex causis prægressis cognoscitur, mutatione coloris in nigrum magisque fuscum, diluentia indicantur demulcentia laxantia quæ siccitati opponuntur leniterque movent ; hoc tantum Hypocrates jubet , hinc fructus horei olera matura , & mollia , juscula tenuija sunt optima . *Horatius* , qui hoc morbo laboravit , ut ex ejus scriptis notum est , inquit .

Impune me pascunt olivæ ,  
Me cichoria , levesque malvæ .

Quæ ergo juscula ex gramine scorfonera , &c. nobili huic ægroto exhibuimus , cum primum accersivit malum , hydrogala , seu lac cum levissima infusione thè purgationes nimirum lenes , medicè indicata erant ; nec minus indicabatur victus ex oleribus , fructibus maturis , aliquando saccharo conditis humor enim acris erat alcalinæ indolis ; sic & balnea lenimentum obtundens ex balsamo Peruriano , ut ferax herpetis acrimonia demulceretur , etiam ex Hypocratis lege adhibere curavimus , qui sectione secunda . *de morb. pop.* ad pustulas in tibiis manna thuris utitur , quod est nativum balsamum solidum ad vlcera cacoethe , impetigines a *Dioscoride* commendatum , quæque omnia si constanter , nec indefinenter per longum tempus tenerentur , multum profecisset ; morbus enim curabilis est in hoc statu , & hæc est optima methodus : unum habet incommodi , quod paulatim operetur , unde ægri Medicorum osiores fiunt , dicendo nil proficere eos ; tunc ad alios confugiunt , singula tentant , & hac ratione tot novæ curationes instituuntur pessimo cum successu .

Sanguinis insinul missionem dum urgeret plethora indicatam credere fas erat , illamque celebrare , & iterare ausus

ausus fui, consuetudinem ægroti sanguinem frequentius mittendi animadvertens, præsertim cum ab ipso ægro importuno convicio suaderer, ut sanguis ei liberaliter detraheretur: & Galenus sic jubet -- *ubi universum corpus sanguinem melancholicum continet, curatio a phlebotomia incipiet; cap. 8. lib. 1. de loc. affect.* quod & probat ille incomparabilis Praticus Ballonius, & rationem adhibet -- *phlebotomia enim inquit ille minuendo calorem tandem temperabit, & partem maligni sanguinis amoliendo locum generationi melioris præparabit, fidem facit experientia quotidiana facit & historia extenuatæ illius mulieris apud Galenum, quæ, evacuato impendio magis sanguine picis simillimo, priorem habitum, nitoremque recuperavit. lib. 3. consil. med. fol. mihi 254.* Et nos addere possumus jam memoratam historiam illius amantis, qui exhausto fere omni sanguine per hæmorrhoidalialia vasa à sua melancholia sanus evasit; qui enim deperdite amat est melancholicus, hoc est atrabilem in sanguine gerit.

Idemet Galenus utraque evacuatione Lucium Martium ab humore melancholico hic Romæ liberavit: hæc est ejus historia. *Eram Romæ primum cum cæteri omnes mihi insidiabantur: erat etiam vir quidam præclarus, ac fortunatus. L. Martius, qui quotannis incidere in melancholiam consueverat; erat porrò admirabile videre clementiam simul, & inscitiam, & temeritatem illorum Medicorum, quibus eo tempore cuncti principem locum tribuebant; at Lucius cum nihil proficeret, ad me venit: ego vero accessi, & ex solo colore feci de noxio humore conjecturam, ipsumque esse melancholicum cognovi: itaque eum ipsum evacuavi, & statim Lucius est melancholia liberatus; hoc præterea illi concilii dedi, ut singulis annis verno tempore, ac si opus etiam fuisset autumnuo, idem faceret; ea autem evacuatio fit, aut venæ sectione aut medicamento, aut hæmorrhoidibus reseratis; lib. de hum. comment. 3. ad tex. 26.*

In

In statu denique secundo cum atrabilis jam sedem fixit, majori prudentia opus est; nam in vasis capillaribus extensis, jam labefactis materia compacta parte liquidissima putrescens, accerrima hæret; & si moveatur, viscera abdominalia corrupta rumpuntur; hinc medicamentis validis non tentanda, plus enim nocent, quam credi possit; *Sydenhamus* optimè hoc annotavit, tunc itaque leniter solvere, illam æque purgare indicatio erit.

At primum indagare oportet atrabilis specificam naturam, acris nè, acida, vel rancida sit, ut remedia adaptari possint: acida, vomitu rejecta in terra fermentat, ut dicit *Hypocrates* cuprum & rodit haud lentius, quam si ab aqua forti, vel oleo vitrioli eroderetur; unde fauces erodit, & dentes stupefacit; hæc in Græcia est frequens, ubi vinum nigrum acidum bibitur; acris, sive cadaverosa fatens; ubicumque transit omnia in gangranam corrumpit: rancida, sive oleosa putrefacta nil pejus: nam oleum, vel lardum putrefactum exsuperat omnia; alcali putrescens elui potest, pingue putrescens vix; in acida acrimonia optima sunt asa fatida, opopanax, olibanum, & similia gummata, quæ leniter solvunt, & stimulant; in acrimonia alcalina tum rob sambuci, & similia; ex signis, hic in nobili ægroto, acris est rodens, alcalescens, multum rancidi; ergo saponacea omnia vegetabilia, ubi acidum intimè ligatum est, cum mucilaginosi salinis, fructus horei maturi, baccæ, cærasæ, prunæ, fragæ &c. succi expressi ex endivia, cichoreo, lactuca, soncho, scorzonera, tragopogano, & similibus herbis paposis, & lactescentibus singulariter profunt, hæc enim vim saponis habent, resolventissimæ sunt, ferè omnia dissolvunt, equos videmus in stabulis hiberno tempore scabiosos factos, ubi in lata demittuntur prata, oborta diarrhæa sanari perfectissimè, quod & bovis, & ovibus contingit, dum prædicto tempore à variis concretionibus lapido-



pidosis in hepate , & vesica fellea perfectè liberantur .

Hinc *Martialis* non minus lepide , quam scite *Cecinit* .

*Utere lactucis , & mollibus utere malvis ,  
Nam faciem duri , Phæbe , cacantis habes .*

Pessimum itaque atrabilis viscidum nunquam tutius , nunquam feliciter solvitur , quam pertinaci harum herbarum usu ; succus enim earum omnia ferè remedia cognita vi solvente superat , quod & Antiquis videtur notum fuisse ; dum pulegii decoctum , intubi succus potatus , menthæ succus , cum succo mali punici dulcis , lactucæ , malvæ , &c. ab *Herodoto* viro de secta phneumatica clarissimo in morbis melancholicis commendatur , ut *Aetius* refert : horumque naturæ prudens suadet ratio illos esse diros morbos , quos *Sinarum* Medici antiqui , & recentiores intra viginti dierum spatium perfectè sanant , usu succi quorundam Pyrorum , quem ter indie agrotis exhibent , ut Medicinæ *Sinica* scriptores nobis referunt .

Neque hæc methodus cum pure diluens , refrigerans , & antipyretica sit , recedere videtur à mente *Galenii* , & *Dioclis* ( qui eodem testante *Galeno* , tam præclare de melancholia hypochondriaca judicavit , ejusque ingenium , & naturam ostendit ) aliorumque , qui omnes hujus mali fontem , & originem phlogosim esse in hypochondriis existimarunt , sive inflammationem quandam , quæ humores retorret , & urit ; unde æstus hypochondriorum , ac inæqualitas caloris , & frigoris contingit , & tunc dominatu istius caloris quodammodo febrilis vasa connivent , & concidunt ; hinc obstructio , hinc major coacervatio ; hinc alimenti impedita distributio .

Serum lactis tempore Verno dum herbis animalia pascuntur , cum sacharò , aut melle , quod est sapor inimitabilis , æque prodest ; atrabilis enim cum viscosissimus humor sit , ex crassiori oleo , terrestrique parte sanguinis ,  
& bi-

& bilis, omnium liquidorum confortium respuit, nisi spiculo saponaceo sint armati: *Serum lactis sale, & melle condientes quibus hypochondria murmurant exhibuimus, & juvantur citata ipsis alvo: inquit Galenus lib. V. aph. Coment. LIV.*

Ego (inquit Boerhaavius) solo illo hipocratico melle morbos abdominis pertinacissimos vici, sed adeo constanter dato, ut laxitas, & solutio succederet, & per omnia emunctoria humores exirent.

Hinc, hic maximus vir nil nisi panem, mel, & aquam manialis dare consuevit, consiliumque probavit eventus; quodque ad tanti Magistri exemplum semel, & iterum fecisse mecum dudum Clarissimus in arte Medica vir *Antonius Ribeyro Sanches* (quem honoris causa hic nomino) comunicavit, multumque profecisse.

Si igitur aliquando heic profecto locum habere videtur illud *Pythagoricorum* diæteticæ preceptum, quod refert Auctor libri de medicam. facile parabil. inter *Galeni* opera l. III. tit. IV.: *Panis, & mel in prandio adhibenda; ille ex milio; olera item cruda, & cocta.*

Neque obstat panicus terror illorum, qui dulcia abhorrent, quasi toxicum foret; quique bilescere credunt; quod quomodo in hominum mentem veniret se nescire fatetur *Boerhaavius*: at sacharum cum sit sal saponaceus essentialis bilem, ac humores soluit, & acuit, ideoque aliquando biliosis hominibus nocere potest; aperit, attenuat tenacitatem glutinosam humorum; hac ergo de causa bilem augere, aut in illam converti vulgo creditur; cum potius medicamentum becchicum, stomachicum, balsamicum sit: vide *Boerb. in chem. & Sclar. de sach. defens.*

Succo uvarum recenti (inquit *Boerb.*) possunt omnes corporis humores in aquam converti; datus enim homini non adsueto nimis largiter facile efficiet, ut absque sensu  
feces

faces imprudenti erumpant , adeo laxat : in *Galia* jocus est , quo extraneos ludunt ;

Quid itaque dulcius , & efficax , si quotidie uvæ recentes rore madidæ per longum tempus adhiberentur ? Sed cum omnia non omnibus æque nota sint , politicè contradicantur , quæ alias salutare auxilium præbent ; neque illis , qui multorum attentionem merentur , suaderi possunt .

Sæpe infurore , seu atrabilis symptomate sopire nervos decet , & urget , in quibus tentio summa , dolor , æstus , convulsiones , quod fieri potest per largas venæ sectiones , vel per opium repetitis vicibus datum , vel per camphoram ad semidracham omni nocte , ut experimento constat . *D. Kenneir* Rege Societati communicato , cujusque singulares extant observationes de curatis maniacis apud Philosophicas transactiones : tunc enim sic vincitur sensorium commune , eo modo ac lora , fustes , canalis aquæ cadens super caput maniacy , agunt ; sic & in nobilissimo ægroto feliciter probavit eventus ; dum emulsione seminum frigidorum bene camphorata per triginta fere dies exhibita , cum balneis aquæ communis ad bonam quietem reductus fuit .

Quandoque etiam per solam vim mentis omne genus nervorum , humores omnes , & fere morbi omnes ab his pendentes mutantur , & producuntur : tunc etenim mens mutari debet per verbera , ut *Titus Asclepiades discipulus* indicavit *lib. 2. de anima* ; in aquam ad mortem fere immersiones , per aquæ canales in caput impingentis , per fortissima purgantia elebori , ut faciebant antiqui , per antiomoniata mercurialia fortissimaque ; quibuscum aliquando curatur mens , sed relicto corpore ægro ; ac ideo quamvis his mentem curemus semper nobis incumbit corpus curare .

Ergo continuari debent saponacea vegetabilia per

multos , & multos menses , usquequo summopere purgari incipiant , & atrabilis ex nido exeat ; tunc misere anguntur , vomitus horrendi fiunt , ac diarheæ , quasi foret ille morbus niger *Hypocrates lib. 2. de morb.* , qui ab hac ipsa atrabiliaria materia gignitur , dum in vasis minimis viscerum imi ventris acredinem corrosivam acquirit , turgēt , vasa rumpit , corrumpit , & effusiones perniciosæ sequuntur , ut semel in mea praxi vidi .

Tunc diluentibus simplicibus evacuatio secundanda ad normam virium , & si opus fuerit , roborandi sunt tantilo vini , opii , usquequo summopere purgentur , vasaque omnia liberentur ab inquilino humore , tunc & vires deficiunt , plorant , infantes fiunt : roborandà denique sunt vasa debilia innanita ferro , zinzibere condito , cortice Peruviano , zedoaria , cinnamomo &c. dum ac fundi , purgatique humor incipit , frictiones lenes per totum abdomen , & circa lumbos matutino tempore sunt adhibendæ : frictiones enim urgent humores , & eorum transitum juvant ; hinc hypochondriacis summopere pro sunt , sic Æthiopiis illa Amstelodami sanabat malum hypochondriacum unguento spicifico , quod applicabat ; sed frictiones curationem efficiebant ; semper enim simul fricabat ad latus dextrum , ut notavit *Bœrhaavius* .

Hæc medicatio longum tempus requirit , piceus enim humor , tenax , rodens difficilime solvitur , aliquando nisi intra 18. menses : hocque solo aparatu morbi hypochondriaci multoties sanantur , qui flagellum , ac medicorum oprobrium vulgo audiunt ; sed melancholici cum sint inconstantes , & facile , ac cito animum mutant , diurnæ curationi accingi nequeunt , sine qua certe restituere non possunt ; adde , quod amici in tam pertinaci morbo mox adhuc , mox ad illum Medicum confugiunt , cum vix unus sit , qui bene tractet hos morbos , & si quis forsitan bene tractet , tum alio advocato iterum res corrumpitur ;

pitur ; unde nil mirum , si tanti misere torquantur , & moriantur .

Aliquando motu musculari valido , calore solis , ignisve ; victu acri , medicamentis acribus &c. atrabilis acrior , mobilis , & jam agens redditur ; tunc dicitur bilis atra turgens , & est gradus quartus invencibilis febre , de quo dicit Hypocrates ; *Si urgeat atrabilis , est morbus incurabilis , nam non prius , quam visceribus jam corruptis , se manifestat* ; fiunt varia , & terribilia phænomena , prout diversa est natura humoris , ejusque abitus ; nam vel per vasa venosa in sanguinem ruit , vel per vasa corrupta in abdomen , vel in vasa biliosa hepatis ; hinc infiniti morbi , immanes febres , polypi cordis , pulmonis , aortæ &c. , paralisis , apoplexia , epilepsia , mania pessimi generis , tympanitis , quia vapor ex putrefactis partibus se mire expandit , & sic inflat totum abdomen ; diarrhæa , & disenteria atrabiliaria pessimæ &c. , hæc symptomata non desinunt , priusquam mors sit propinqua ; nam nil dolet , & sic moriuntur miseri , quia gangrenosæ facta sunt partes ; ut dicit *Hypocrates* , & notavit *Lindanus de vomit. sanguin.* dum inquit . *Quibus atrabilis exit ii postridie moriuntur : quod aliquoties vidi : nam atrabilis omnes partes exeunde quasi cauterizat : Diluentia tunc indicantur cum opposito dominantis acrimoniae , melle , & pauco sale , quod est optimum contra putredinem , & paululum opii , si nimis motus adsit , at verò vix hæc juvant .*

De victus ratione in his morbis optime admonet *Boerhaavius* -- *si bilis sit atra acida , tum non concederem , ut vinum , lac , panem neque ullum acescens gustaret , sed modo jus carniæ cum vitello ovorum , & piscibus fluviatilibus assatis , & coctis &c. sic si alcali prædominaretur , hæc ultima prohiberem , & prius dicta suaderem ; si rancidum oleosum peccaret , tum nil darem , nisi succos boræos expres-*

fos, ex endivia, chicoreo, & similibus herbis, papposis & lateſcentibus: ſic vivere egroti debent, aliter ſemper malum ſervant, & per totam vitam fatui manent; hæ ſunt omnes acrimonia, quas cognoſco, & contra has ſemper oppoſita ſunt danda, ſic egro multum commodi hic adfert: quod cibus, qui in acrimonia alcalina aſſumitur, laxat, nam tum dō mel cum ſaccharo, & ſi rancidum, tum ſumo mel, cum ſucco boræo, quæ omnia materiam piceam ſimul ſolvunt.

Hoffmanus vir in praxi ſolertiſſimus aquas minerales ſpiritu elatiſtico puriſſimo, ac ſale alcalino medio minerali prægnantes ad viſcerum obſtrutiones his morbis referendas ſummopere laudat; lactiſque connubio ad maniaca, ac melancholica deliria: aſt ego tantopere illas ſuaderem hypocondriacis pauca, & ſpiſſa bilis, qui à face, & limo ſanguinis dicuntur ex Galeni, & omnium medicorum ſententia; quorumque maxima pars lienofa eſt, & acedinem alimenti vegetabilis generant in primis viis.

Atrabiliariis verò, ſeu melancholicis per aſtationem humoris bilioſi, aut ſanguinis ipſius, ut phraſi Hippocratis, & Galeni utar aquæ minerales, vel ſimplices, vel cum lactis miſcella, ut Hoffmanniſ autor eſt, pulcherrimè profunt; cum adhuc atrabiliarius ſuccus divagatur in ſanguine, diluunt enim, demulcent, leniter movent, ſiccitati obſtant, quod tantum Hippocrates jubet.

Hinc acidulas villenſes ſimplices, poſtea cum lacte, ægroto ſuaſimus cum primum vagabundus humor acriter operari incepit; Boerhavius virum melancholicum ad fontes ſpadanas miſit, & rediit ſanus (prax; med. cap. de melanch.)

At verò ſi atrabilis huc, vel illuc jam ſedem fixit, hypocondriis præfertim ubi lege circulationis naturaliter tendit, utpotè pars craſſa, ſaculenta ſanguinis, quæ debet à corpore cum ſanguinea maſſa deorſum ferri, & hæreſe cir-

ca vasa cæliaca, & mesenterica; tunc non bene conveniunt; arterias enim constringunt, nec piceam materiam solvere possunt: succi horei expressi, serum lactis verno tempore, saccharum, & mel tunc laxant, simul que solvunt materiam piceam: si attamen hæc hærens materia his, aut similibus, aut sponte eliquari, ac moveri incipit, vasa que laxari, de quo loquitur *Caldera de Heredia de facile parabilib. fol. 311.* sic aliquando vomitus sanguinis nigri tetri obscuri, & veluti fex sanguinis criticè, & aliquando symptomatice contingit, qui etiam solet per dejectionem evacuari: periculosum sanè accidens, quod nos haud infrequenter vidimus accedisse ob illuviem melancholici sanguinis mesaraicis venis adservati, ut in hypocondriacis per hæmorroidales venas (uti solet) exitu denegato -- aquæ minerales simplices, vel cum tertia parte lactis, tunc in usum revocari possunt; diluunt abstergunt ac determinant ad alvum, natura præmonstrante viam; Nec recedimus à mente Hypocratis, qui in atrabile turgida seu morbo nigro, quando vasa corrumpit, lac asininum suadet *in lib. 2. de morb.*

Alterum adhuc superest remedii genus valde proficuum summeque à Medicis græcis, in morbis Herculeis commendatum, cæli nempe mutatio, longeque perigrinationes, quas adeo proficuas in se ipso expertus est *Cicero*, ut postquam summæ gracilitatis causa, ac corporis infirmitatis, cum procero, & tenue collo se venisse Athenas scribit, per sexque menses ibi mansisse, totamque Asiam postmodum peragrassè, denique Rhodum venisse, sanitati pristinæ fuisse restitutum innuit his verbis -- *ita recepi me biennio post non modo exercitior, sed propè mutatus: nam & contentio nimia vocis reciderat, & quasi referverat oratio, lateribusque vires, & corporis mediocris habitus accesserat: lib. de clar. orat. cap. 16.*

*Justus Lipsius* Epistola prætermissa *Offenbacii* cum no-  
tis

tis in *sueton. cap. 12.* testatur magnum folere ad confirmationem valetudinis momentum afferre peregrinatio, cœlique & loci mutatio.

*Pessimum cœlum est, quod agrum fecit, adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit:* pulchre scribit *Celsus lib. 1. cap. 1.* & *Hypocrates* inquit *terram mutare commodum est in longis morbis: lib. 6. de morb. popularib. sect. 5.* At in insania propriè regiones mutare debere ægros, & si mens reddit annua peregrinatione esse jactandos, jam dudum prodidit *Celsus lib. 3. c. 18:* hypocondriacis etenim cœli, locique mutatio in peregrinatione convenientissima erit, motu namque corporis sanguinis motus in hoc morbo impeditus suscitatur; excretiones, ac transpiratio adjuvantur, & crudus viscidus que humor in membris, & visceribus residens discutitur: aere puro, benigno, sereno spirituaſcentia sanguinis blandè promovetur, laudatissimaque materia spiritibus supeditatur.

Comparatur etiam tranquillitas animi in itineribus, dum animus planè ab ordinariis occupationibus, & objectis, quæ curas, & sollicitudines injungunt, avertitur, & versatur, & delectatur novis rebus, quas in itinere cum cupiditate perspicit: hic & tranquillitas animi status in hypocondriacis ad anxias, & tristes curas, animique angores perpetuò fere dispositis valde desideratur, & per itinera in loca amœna, jucunda, novarum rerum plena acquiritur: Phulcre itaque *Cælius Aurelianus cap. V. de furore, si-ve insania* jubet *utendum peregrinatione terrena, atque maritima, & animi avocamentis, quibus mentis laxatio fiat.*

Tandem vix aliquis morbus imminet qui non exercitatione corrigi, aut averti possit, auctore *Bacone de Verulamio lib. IV. de augment. scient.* Inprimis vero motus frequens in affectibus hypocondriacis valde prodest. hinc ait

*Plau-*



*Plautus* in *curcul.* act. II. c. I. v. 29. *ambula, id licenti optimum est.*

Aliquid hic ultimo annotari meretur de Hysterico morbo, qui, sive acres humores in primis viis spectes, sive viscerum scirrhus, ossificationes, aneurismata, varices, coalitum unius ad alteram partem, ovarium, uterumve scirrhus, hydatidibus scatentes &c. vel etiam congestiones, & stagnationes sanguinis exitum per uterum non invenientis, eadem symptomata inducit, eademque fere ac mali hypochondriaci & prognosis, & curatio est; quando enim cruor vitalis in abdomine stagnans nec per uterum in sequiori sexu, neque in viris per venas sedales suo potitur exitu, causa plerumque fit vehementissimorum imi ventris spasmodorum, qui ventriculum imprimis occupantes, cardialgias, præcordiorum anxietates, spirandi difficultatem post se trahunt: mulieribus vero, quas, tanquam corpora teneriora, vehementius affligunt, speciatim sæpe constrictionis pectoris, & suffocationis sensum, inducunt, aliaque graviora symptomata, alios pœne morbos omnes æmulantia, dum scilicet nervorum genus in acerbam motuum violentorum rapiunt societatem: & hæc affectio in viris hypochondriacâ, & in mulieribus hysterica falsa dicitur: alius enim est morbus Hystericus vere dictus, ex ataxia, & spirituum explosionibus oriundus, etiam utriusque sexui, a simili procatarxi, communis, sed mulieribus frequentissimus utpote tenuioris nervorum syntaxeos, ex violentis quibusdam, ac repentinis animi commotionibus sæpissime prognatus: vide relatam supra historiam Vill. cap. V. de morb. convuls. & observ. 4. cap. XI. de scorbut. illis motus corporis, digerentia, temperantia, incidentia attenuantia vegetabilia profunt; & quæ singulari causæ opponuntur; ut etiam aquæ minerales, intus, & extra, præsertim cum spasmi urgent, sive tensiones, veluti particularis tetanus; tunc etenim largus aquæ frigidæ potus salutaris

[ XXXX ]

ris est , ut vidit *Amatus* Centur. 1. Curat. 2. & jubet  
*Hyppocrat.* V. aph. XXI. & num. 14. de morb. Istis vero  
antihysterica vulgo dicta adaptari debent : consulendus est  
*Sydenh.* qui de his optime scripsit .

F I N I S .



